



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 23. De Breviariis & Liturgiis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

## §. XXIII.

*De Breviariis, & Liturgiis.*

Verum ni fallor, major adhuc utilitas præcipue in Galliis Ecclesiæ inde accessit, quod Breviaria, aliique libri Ecclesiastici emendati, atque a pluribus Episcopis non minus Religionis studio, quam scientiæ laude claris fuerint expurgati; veteres enim horum librorum editiones potissima ex parte male sine selectu, ac judicio conscripti multis insulsis, & falsis scatebant historiis, quæ eo aptiores erant ad perpetuo propagandos errores, quo incautius ejusmodi libri omnibus tradebantur Ecclesiasticis, quorum non paucis, aut tempus, aut voluntas deest, ut magna cum sedulitate in ejusmodi nævos inquirant, eosque devitent. Verum recentiora Breviaria, saltem potissima illorum pars, ab ejusmodi mendis penitus exempta sunt, ac præter Psalmorum recitationem, quæ Ecclesiasticis præscribitur, in hisce libris quamplurima reperiuntur selectiora Sanctorum Patrum loca, probatiora Historiæ Ecclesiasticae monumenta, elegantissimæ Sanctorum sententiæ, necnon Conciliorum Canones Ecclesiasticorum statui, ac officio vel maxime accommodati: Insuper hi libri edocent rectam precandi methodum, ac piis lectionibus animam pascendi, necnon verum

rum Ecclesiæ Spiritum dignoscendi facultatem suppeditant, nec minus præscribunt Ecclesiasticis, qua ratione suis moribus exemplo prælucere, ac status sui sanctitati, necnon suorum munerum amplitudini satisfacere debeant. Denique nos instruere possunt de iis, quæ in Ecclesiæ usibus, ac ritibus notabiliora sunt; nam istorum cognitio sane ab Ecclesiastico sui status studio minime negligenda est. Olim jam saeculo decimo sexto querebatur quidam Aloysius in sua ad illustrem quemdam Cardinalem epistola, quod inter ævi sui Ecclesiasticos rituum ignorantia prævaleret: si Religionis cultus, inquietabat ille, in spiritu fundatur, atque a nostra intentione descendit, abs dubio ille, qui rationes, ob quas hic, vel ille ritus observetur, ignorat, indigne sacrum Ministerium usurpat; talis enim, prosequitur Aloysius, sine ratione agit, cum ea, quæ operatur, nec agnoscat, nec intelligat: nam humano modo non agit ille, qui ritum, quem non intelligit, observat, ac etiam non sine conscientiæ anxietate cæremoniae in opus dedit, quas tamen non percipit, aut illarum institutionem, finem, vel rationem ignorat, quippe nullam certe consolationem internam, nullumque fervorem inde concipiet: nihilominus ex Ecclesiasticis non pauci cir-

CX DISSERTAT. §. XXIII.

ca hunc articulum non aliam habent cognitionem , nisi quod se ad hosce ritus servandos teneri agnoscant, quinimo plures reperire est, qui hujus cognitionis ignari, aliunde tamen profanarum rerum scientiam, & cognitionem per superbiam vix tolerandam jaſtitant : Ut ergo huic malo remedium opponeretur, in priori, ac præſenti ſæculo tot eximia prodiere opera circa Liturgiam, in quibus rituum institutio, Majestas, progresſus, diversitates, & variationes demonſtrantur, atque in omnibus hisce operibus aliunde fat cognitis tam copiosa, ac selecta eruditionis Eccleſiaſticæ monumenta adducuntur, ut hæc ſola Lectorum aviditatem allicere deberent: Itaque hodierno ævo nullum ſolidæ institutionis medium deeft, ac ſcientiarum campus, quamvis vastissimus non fine ingenti facilitate, voluptate, ac utilitate, quam noſtri Majores nobis procura- runt, percurri valet : nobis ergo nil reliquum eft, niſi ut alieno labore opportu- ne utamur, tantam enim utilita- tem neglectui habere, nefas foret.



CON-